



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Soleæ antiquiſſimum calceamenti genus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

adeo certū est. Nihil enim occurrit in sacris monumentis de forma calceorum, atque unicam vocem tantum habent Hebræi, qua calceū vocant. Hæc vero quale designet calceamenti genus non adeo constat, cum variè reddant veteres interpretes. Hebræo *לַחַיִּים* maxime apud Jonathanem in Legem, & in Targum Hierosolymitano respondet *לַחַיִּים* vel *סַנְדָּאָלִיּוֹן* *sandalium*. LXX. Interpretes modo *ὑπόδημα* modo *συνδάλιον* vertunt, quomodo Vulgatus modo *calceamentum*, modo *caligas* habet. Nos vero putamus non inanibus conjecturis adstrui posse *calceos* Hebræorum *soleas* fuisse, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cum cætera prope nuda & teretibus habenis juncta sint, uti *soleas* Agellius describit.

Agel. lib.
13. cap. 20.

III. Ut simplicissimum & ab omni ambitu quam maxime remotum, ita antiquissimum calceamenti genus fuisse *soleæ* videntur. Prisci mortales, ut contra sentium & lapillorum & aliarum asperitatum injurias pedes munirent, ex corio bubulo, vel aliorum animalium pellibus

F 7

parti-

134 De CALCEIS HEBRÆOR.

particulas quasdam plantis subli-
garunt, unde natae sunt soleae,
quæ à vetustissimis temporibus
usitatae fuerunt. Cujus rei hoc
argumentum habemus, quod om-
nia prisca, quibus pedum tegu-
menta appellantur, vocabula, so-
leas notent à prima origine. Duo
sunt præcipua apud Græcos no-
mina, quibus *calceum* vocant,
σανδάλιον & *ὑπόδημα*. Et quidem
σανδάλιον nihil aliud esse quam so-
leam, atque apud priscos Græcos
tantum pedum plantas munivisse,
præter usum frequentem, qua pro
solea usurpatur, ex eo videre est,
quod insula Sardinia olim *Sando-
liotis* dicta sit, quomodo à plantæ
pedis figura *Ichnuusa* appellata fuit,
quia ut Claudianus canit:

Claud. de
Bel. Gild.
vs 507.

*Humanæ speciem plantæ sinuosa figurat
Insula, Sardiniam veteres dixere coloni.*

Bochart.
Geograph. S.
p. 2. lib. 1.
cap. 31.
Athen. lib.
4. c. 1 &
ibid. Cas.

Videri possunt quæ observata
sunt de his Sardiniae nominibus
viro summo Samueli Bocharto.
Tum etiam id ex eo patet quod
σανδάλια pisces planos Græci vo-
cent, quam vocem apud Athe-
næum legimus; *Σάνδαλα δ' αὖτε πα-*

ει